

2

LEGES REGIAE

ET

LEGES X. VIRALES,

I. LIPSII operâ studiosè collectae.

Editio ultima.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

MD. LXXI.


Cum Privilegiis Casareo & Regio.

LEGGES REGIAE

LEGES VIRALIS

I. Parsi opem fudore collectas

Edm. 1811



ANTVERPIA

EX OFFICINA PLANTINIANA

Apud Joannem Moretum

1791

Curia Privilegiis Caroli 6. Regis

DE REGIIS LEGIBVS, ET QUI REGES QVAS TVLERINT.



NVS omne Publicum aut Priuatam est. Publicum, Diuinum, aut Humanum. Diuinum, quod ad sacra & sacerdotes pertinet: Humanum, quod ad magistratus & publicam administrationem. Ex his Romulus rex Humanum praecipue: Numa, Diuinum constituit. Et publico quidem iuri pauca aut res ceteri aut x. viri addiderunt. Supererat Priuatum. quod in Naturale, Gentium, & Civile tribuitur. Naturae ius Romuli ferè leges praefereunt: Numa Gentium addidit. Romulus de educatione liberum, de matrimoniis, de parentum iure sanxit: Numa, de homicidis, de bonae fidei contractibus, de sepultura, quaedam tulit. Iuris Civilis praecipuus auctor Seruius Tullius, qui auctore Dionysio de Contractibus & Iniuriis quinquaginta leges rogauit: item de foenore, de nexis, aere alieno, & alia. quae compluria in suas tabulas x. viri transtulerunt. Non aliena ab hac origine iuris Aristotelis diuisio est Iustitiae particularis in Διαμεριστικὴν siue Distributiuam, & ἀλλοτριτικὴν siue Commutatiuam. Priorem illam iustitiam Romulus maximè, & ex parte Numa: posteriorem ceteri spectarunt. Romuli leges, quarum verba ipsa perierunt, sententiae ex antiquis, praecipue Dionysio, colliguntur, sic concipi possunt.

Deos patrios colunto: externas superstitiones aut fabulas ne admiscento. I.

Ne quid inauspicato publicè gerunto. II.

Nocturna sacrificia, peruigiliaque amouentor. III.

Rex sacrorum praeses, legum custos esto: iudicia exerceto: belli imperium habeto. IV.

Patres sacerdotia & magistratus capiunto: plebeiis patroni suntu. V.

Populi suffragia suntu: magistratus creanto: leges sciscunto: pacem bellumque iubento. VI.

Moenia sancta existimantor. VII.

Vxor Farreatione viro iuncta in sacra & bona eius venito: ius deuotendi ne esto. VIII.

LEGES

- 4
- IX. Si stuprum commisit aliudve quid peccasset, maritus iudex & vindex esto: deque eo cum cognatis cognoscito.
- X. Temerum mulier ne bibito.
- XI. Quod natum erit, parentes tollunto: monstrosos tamen partus se fraude exponi fas esto.
- XII. In liberos suprema patrum auctoritas esto: venundare, occidere liceto.

Verba ipsa legum.

- XIII. SI PATER FILIOM TER VENVM DVIT, FLLIVS A PATRE LIBER ESTO.
- XIV. SEI PVER PARENTEIS VERBERIT, AST OLOE PLORASSINT, PVER DIVEIS PARENTVM SACER ESTO. SEI NVRVS, SACRA DIVEIS PARENTVM ESTO.
- XV. PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO.
- XVI. DVVMVIRI PERDVELLIONEM IVDICENT: SI A DVVMVIRIS PROVOCARIT, PROVOCATIONE CERTATO. SI VINCENT, CAPVT OBNUBITO, ARBORI INFELICE SVSPENDITO: VERBERATO VEL INTRA POMOERIVM, VEL EXTRA POMOERIVM.

Numae Pompilij leges.

Numa, ait Dionysius, Romuli leges firmavit, novas ipse de ritibus & ministris sacrorum adiunxit. Curiones, Flamines, Augures, Vestales, Salios, Feciales, Pontifices instituit. Legum aliquot verba haec reperiuntur.

- I. DIS EX IMPVTATA VITE NE LIBANTO.
- II. VINO ROGVM NE RESPERGITO.
- III. PISCEIS QVEI SQVAMOSI NON SVNT NEI POLLVCETO: SQVAMOSOS OMNEIS PRAETER SCARVM POLLVCETO.
- IV. QVOIVS AVSPICIO, CLASSE PROCINCTA, OPEIMA SPOLIA CAPIVNTVR, IOVI FERETRIO BOVEM CAEDITO. QVEI CEPIT, AERIS DVCENTA DARIER OPORTETO. SECVNDATA SPOLIA, IN MARTIS ARAM IN CAMPO SOLITAVRILIA VTRA VOLVERIT CAEDITO. TERTIA SPOLIA, IANO QVIRINO AGNVM MAREM CAEDITO, CENTVM QVI CEPERIT EX AERE DATO.
- V. QVI TERMINVM EXARASSIT, IPSVS ET BOVES SACREI SVNTO.
- VI. SI QVIS HOMINEM LIBEROM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARICIDA ESTO: SI IMPRVDENS, TVM IN CONCIONE PROCAPITE OCCISI ET NATIS EIVS ARIETEM OFFERTO.
- VII. PFLEX ARAM IVNONIS NE TAGITO: SI TAGIT, IVNONI CRINIBVS DEMISSIS AGNVM FAEMINAM CAEDITO.
- VIII. SEI HOMINEM FVLMIN IOVIS OCCISIT, NE SVPRA GENVA TOLLITO.

HOMO

REGIAE

HOMO SI FULMINE OCCISVS ESIT, EI IVSTA NVLLA FIERI OPORTETO.

Sensa legum ista.

Deis fruge & mola salsa supplicanto.

IX.

In contractibus fides seruator : Fidei numen omnes metuunto.

X.

Si filius familias vxorem duxit, patri vendundi eius ne vltra ius esto.

XI.

Mulierem, si praegnas mortua fuerit, nisi exciso partu, ne humato : qui secus faxit, quasi spem animantis peremerit, ita esto.

XII.

Tulli Hostilij.

Nati trigemini, donicum puberes esunt, de publico aluntor.

I.

De x. virorum Legibus, quando & quomodo scriptae.

Regiae leges partim scriptae, partim inscriptae adusque Tarquinij Superbi tempora valuerunt. Primus ille & Seruij leges omnes abrogauit, & priorum Regum plerasque contempsit, ad vim omnia referens & libidinem dominandi. Tarquinio vero pulso, à Bruto & Valerio COSS. reuocatas iterum Seruianas aliásque leges Dionysius adfirmat. Quasdam & ipsi COSS. & postea Tribuni addiderunt tuendae libertatis, ut sunt Valeriae, Sacrae, Iciliae leges. Sed hae omnes ius publicum spectabant : & privato iuri nulla facta accessio ante leges x. virales. A. V. C. CCXCII. promulgata à Tribunis lex Terentia est de Quinqueuiris, ut Liuius, vel Decemuiris, ut Dionysius, Legum scrib. creandis. Eaque lex plebi volenti fuit. Nam ad id tempus loco regum COSS. ius dicebant: Consules autem ex patribus erant. Itaque in dissensu ordinum, cum Patres occasione iuris praecipue uterentur ad premendam plebem, nec plebeio contra patricium ius vllum aequum esset: omnibus concionibus iactata & flagitata lex Terentia est. Restitere tamen, septem annos ipsos, patres. Fracti demum concessere, missique legati in Graeciam ad Solonis inclitas leges aliarumque ciuitatum instituta moresque noscendos. addit Dionysius etiam in Graecicas Italiae ciuitates. Bienenium plusminus legati abfuerunt. Reuersi sunt A. V. CCCI. Statimque plebs peruicit ut scribendarum legum initium fieret: patres tenuerunt ut x. viri è patriciis tantum crearentur. Creati Ap. Claudius, T. Genutius, P. Sextius, Sp. Veturius, C. Iulius, A. Manlius, Ser. Sulpitius, P. Curvius, T. Romulius, Sp. Postumius, omnes consulares. Inierunt magistratum sine prouocatione A. V. CCCII. sineque anni propositae decem tabulae. Duae reliquae sequenti anno additae. In Graecis interpretandis vsi operà sunt Hermodori Ephesij philosophi. Tabulas vocare placuit exemplo Atheniensium qui Solonis leges dixerunt Αξονας, tabulis ligneis incisas. quamuis istas aereas fuisse constet dissentiente Pomponio. Perlatae sunt comitiis centuriatis, fixae in foro ad Curiam Hostiliam. manseruntque, quamuis post varia incendia urbis, ultra Septimij Seueri Imp. tempora. De diuisione tabularum ex fragmentis difficile iudicium est. Modo tamen & ordine scriptas fuisse non est dubium. Leges Regiae & Solonis, decem primas tabulas occupasse videntur: duae postremae de Sacris fuerunt, easque à Faliscis petitas

* 3

Seruius

Seruius est auctor. Certè leges regiae ex I. II. & III. tabula à Festo citantur: Lex Romuli de vendendis filiis à Dionysio in quartâ ponitur. Fragmenta quae supersunt, haec sunt.

- I. IVSSVS POPVLI ET SVFFRAGIA SVNTO, QVODCVMQVE POSTREMVM POPVLVS IVSSIT, ID IVS RATVMQVE ESTO.
- II. PRIVILEGIA NE IRROGANTO.
- III. DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMVM COMITIATVM NE FERVNTO.
- IIII. FORTI SANATIOQVE IDEM IVS ESTO.
- V. Qui hostem concitauerit, quive ciuem hosti tradiderit, quive coctus nocturnos agitauerit, capital esto.
- VI. Sodalitates & collegia sunt: ast ne in publicas leges commodave peccanto.
- VII. QVI FRVGES EXCANTASSIT, CERERI SACER ESTO.
- VIII. QVI FRVGEM ARATRO QVAESITAM PAVIT SECVITVE, PVBES CERERI SACRATOR: IMPVBES PRAETORIS ARBITRATV VERBERATOR, NOXAMVE DVPLIONEMVE PRAESTATO.
- IX. Si in alieno pecus pauerit, actio esto.
- X. Qui iniuria arbores alienas ceciderit, in singulas xxv. aeris luito.
- XI. Arboris impendentis ramos xv. pedes à terra circumcidere ius esto.
- XII. PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.
- XIII. SI INTESTATVS MORITVR CVI SVVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO: SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HERCISCVNTO.
- XIV. SI FVRIOSVS ESSE INCIPIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO.
- XV. HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO NEVE VRITO.
- XVI. HOC PLVS NE FACITO: ROGVM ASCIA NE POLITO.
- XVII. MVLIERES GENAS NE RADVNTO, NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.
- XVIII. HOMINI MORTVO NE OSSA LFGITO, QVO POST FVNVS FACIAS, NISI BELLI PEREGREVE MORTVO.
- XIX. QVI CORONAM PARIT, IPSE PECVNIAVE EIVS, VIRTVTIS CAUSA ARDVITOR.
- XX. NEVE AVBVM ADDITO.
- XXI. QVOI AVRO DENTES VINCTI ESUNT, AST IM CVM OLLO SEPELIRE ET VRERE SE FRAVDE ESTO.
- XXII. Scruiis vnetura tollitor, omnisque circumpotatio.
- XXIII. Rogum bustumve novum, propius L x. pedes, alienas aedes ne ad-
iicito.
- XXIV. Forum bustumve ne vsucapito.

SI IN IVS VOCET, ATQUE EAT. XXV.

SI MORBUS EVITASVE VITIVM ESCIT, QUI IN IVS VOCAS-XXVI.
SIT, IVMENTVM DATO: SI VOLET AR CERAM, NE STER-
NITO.

SI QUID HORVM FVIT VITIVM IVDICI, ARBITROVE, REO-XXVII.
VE, DIES DIFFEISVS ESTO.

SI VIS VOCATIONI FVAT, TESTAMINI: IGITVR EM CA-XXIIX.
PITO.

SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDOIACITO. XXIX.

SI QVEI IN IVRE MANVM CONSERVNT, VTRIQVE SVPER. XXX.
STITIBVS PRAESSENTIBVS VINDICIAS SVMVNTO.

SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, REI SIVE LITIS ARBITROS XXXI.
TRES DATO: EORVM ARBITRIIS FRVCTVS DVPLIONE DA-
MNVM DECIDITOR.

REM VBEI PAGVNT, ORANTO. NEI PAGVNT, ANTE MERI-XXXII.
DIEM IN FORO AVT IN COMITIO CAVSAM CONIICIVNTO.
POST MERIDIEM PRAESENTE AMBOBVS LITEM ADDICITO.
SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

AERIS CONFESSI, REBVSQVE IVRE IVDICATIS TRIGINTA XXXIII.
DIES IVSTI SVNTO: POSTIDEA MANVS ENDOIECTIO ESTO:
IN IVS DVCITO: NEI IVDICATVM FACIT, AVT QVIPS ENDO
IVRE EM VINDICIT, SECVM DVCITO, VINCITO AVT NERVO
AVT COMPEDIBVS QVINDECIM PONDO, NE MINORE, AVT
SI VOLET MAIORE VINCITO. SI VOLET, SVO VIVITO, NI
SVO VIVIT, QUI EM VINCTVM HABEBIT LIBRAS FARRIS EN-
DO DIES DATO: SI VOLET, PLUS DATO.

TERTIIS NVNDINIS PARTES SECANTO: SI PLUS MINVS-XXXIV.
VE SECVERINT, SE FRAVDE ESTO.

ASSIDVO VINDEX ASSIDVVS ESTO: PROLETARIO QVIVIS XXXV.
VOLET VINDEX ESTO.

QVI SE SIRIT TESTARIER, LIBRIPENSVE FVERIT, NI TE-XXXVI.
STIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTSTABILISQVE ESTO.

CVI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBVS OB XXXVII.
PORTVM OBVAGVLATVM ITO.

Qui falsum testimonium dixerit, saxo Tarpeio deiicitor. XXXVIII.

Si iudex arbiterve ob rem iudicandam, pecuniam acceperit, Capi-XXXIX.
tal esto.

Qui malum carmen incantassit, Cereri sacer esto. XL.

QVI INIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. AERIS POENAE XLI.
SVNTO.

SI QVIS CARMEN OCCENTASSIT, ACTITASSIT, CONDI- XLII.
DISSIT, QVOD ALTERI FLAGITIVM FAXIT, CAPITAL ESTO.

SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO. XLIII.

SI

8
LEGES REGIAE.

- XLIV. SI NOX FVRTVM FAXIT, ET IM ALIQVIPS OCCISIT, IV-
RE CAESVS ESTO.
XLV. Interdiu si se telo defenderit, iure caesus esto.
XLVI. SI ADORAT FVRTO QVOD NEC MANIFESTVM ERIT, DV-
PLIONEM LVITO.
XLVII. Furta per lancem liciumque concepta, quasi manifesta vindicantur.
XLVIII. De furto pacisci liceto.
XLIX. TIGNOM IVNCTOM AEDIBVS, VINEAEQVE CONCAPES NE
SOLVITO.
L. FVRTIVAE REI AETERNA AVCTORITAS ESTO.
LI. VSVS, AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM ESTO.
LII. ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS ESTO.
LIII. QVI NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVN-
CVPASSIT, ITA IVS ESTO.
LIV. Vindiciae secundum libertatem dantur.
LV. Nequis vnciaro foenore plus exerceto.
LVI. Patricij cum plebeiis connubia ne iungunto.
LVII. Via in porrectum VIII. P. in amfractum XVI. P. lata esto.
LVIII. In finibus intra V. pedes vsucapio ne esto.

FINIS.

APPROBATIO.

*In his legibus nihil est quod Religionem Catholi-
cam offendat. quod attestor*

Walterus Vander Steeghen S. Theol. Licentiatus,
Ecclesiae Antuerpiensis Canonicus.